

11  
MIRACULUM  
ORBIS VNIVERSI,  
SOLITARIVS ex IMPERATORE  
CAROLVS V. R. I.

Peractam Vitæ <sup>post</sup> & Honoris Scenam <sup>Declarandi</sup>

IN  
SCENAM  
DATVS  
ET

Author P. Abba  
Paris a 1644.  
Vite B. M. V.

ILLVSTRISSIMO ac REVERENDISSIMO D.

D. JOANNI  
SIGRAY

Electo Episcopo TEMNENSI, Præposito

Scepusiensi, Abbati B. MARIE Virginis de Csar-  
tar, Sacræ Cæsareæ Regiæq; Majestatis Consiliario,

nec non

EMINENTISSIMI ac REVERENDISSIMI

PRINCIPIS,

LEOPOLDI

S. R. Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis

à KOLLONICZ,

ARCHIEPISCOPI STRIGONIENSIS,  
Lociq; & Comitatus ejusdem Supremi ac Perpetui  
Comitis, Primatis Regni Hungariæ, Legati  
Nati, Summi Secretarij & Cancellarij, Ordinis  
S. IOANNIS Hierosolymitani Prioris,  
Commendatoris Egræ & Maylbergæ,  
Sacræ Cæsareæ Regiæq; Majestatis  
Consilarii Intimi &c: &c:

In

Spiritualibus Vicario, & Causarum Auditori Generali,

dum

Podolinium pro Festo VISITATIONIS  
V. B. ad SCHOLAS PIAS

DESCENDISSET

A

Magnificâ, Generosâ, Nobili & Ingenti  
Collegij LVBOMIRSCIANI Podolinensis  
SCHOLARUM PIARUM Iuventute,

*Motore Apolline,*

adâ Die post Octavam S. IOANNIS BAPTISTÆ

in vim

LIGAMINIS & SALUTATIONIS

DEDICATIVS.

Anno

Miraculi super omnia Miracula DEI, pro Nobis in Carne  
Solitarij. 1701. Die 3. Julij.



CARMEN DEDICATORIVM.  
<sup>A D</sup>  
ILLVSTRISSIMVM ELECTVM  
EPISCOPVM TEMNENSEM.



Vgustum Parnasse Caput substerne Tiaræ  
Pontificis, pronôq; genu submissus adora  
Nomina Deliacas hodie vibrata per oras.  
Majores equidem Mitratum Nomen honores  
Vendicat, aut caro fluidum torrente Maropem,  
Aurea qui sudet positis præconia chartis,  
Et simili certet radios pensare corusco,  
*INFLA* Palladio quales communicat axi.  
At quia munifico verborum pondere comi  
Non amat affectus, veniam dabis Optime PRÆSVL,  
Nulla paludato tumeant si carmina cinctu,  
Sed quæ dictavit niveo sincerior ostro  
Candor, id evolves, tenui præsentis in umbra  
Codicis elucens. Quia verò PRÆSVLIS astro  
Cuncta serenatæ pelluntur nubila Cyrrhæ,  
Sume salutantum magnos in præmia nisus:  
Quos, licet in modicum transfudit Apollo volumen,  
Non tamen arctabit, Tua nè socialibus astris  
Nomina Pierio revehant temone librata,  
Vota salutantis needùm benè tibia solvit,  
Cùm laudis pelagus pleno decet agmine rursus

Currere, quod refugis pofcit præterflua bigis  
Feria folenni cultu litata *Patrono*.

Penna quid ordiris? gemino te Marte laceffit  
Campus; ad vnus trepidas molimen? vtroq;  
Fortiter imbellem telis pulfante fatifces.

Non pavet affultum licet impare certet arenâ.

CAROLVS; (illa Ducum Basis, illud Fulmen in armis;

Qui torvi rabiem tanto terrore gelavit

Biftonis, ut famulo veftigia lingere cultu

Debuerit,) meriti perfolvat debita cenus.

Magnorum, magni placantur fanguine manes;

*Tarpeium Tibi* Scena dicat pro munere *Sidus*.

Et benè, nam toto radiat cum Sole *Planeta*

*Auftriaci*, langvens augebit ab inde conufcum

Scena fuos hodie *Tibi* vibratura nitores.

Augebit per *Te*, Cui tanti fulgura Cæli

Purpureo micuere die. Sic omina Phæbi

Defluus obducto mediâ caligine mundo

Confirmat radius: Paucos toga Nominis ornat.

Illucet meliore comâ, quæ fanguinis oftro

Purpura, pota rubet vultus enata fluento,

Pulchrius Herodum depingit adorea frontem.

Nec minus emanat *KOLLONICZ* murice lucis,

In *Te*, conspicuo quem purpurat *Infula* cultu

*STRIGONII*, quando Lancem *Tibi* tradidit *Æqui*.

Vnanimo femper librandam pondere; five

Congerat immenfi cumulos *Fortuna* metalli,

In partes actura fuas; fefti nuda peroret

Caufa duellantis nullo domitura thefauro

Iurgia Decreti. Multas habet aurea pennas

Sepia; nudatam Phœnix fitit. Vncta bilancis

Non declinarunt à recti lege ftatuta

Iudice Te, quem nulla fitis de tramite veri  
Nummorum retrahit. Quare pius Arbiter æqui;  
Iustitiæq; tenax; (cui nunc *Temnese* migravit  
Ad plantas solium: cui sternit in effeda pennas  
Gratia Magnatum) Divum accedente jugali  
Subsidio, faustis equitabit in ardua ventis  
Culmina, Præsuleæ neq; ponet fulgura Mitræ:  
Quam, vel ab æthereis rutilabunt Nomina tædis;  
Vel probitatis amor lumen damnabit Honorum.  
Nam: cavet in Scena Virtus radiare curulis;  
Deligit arcano sibi pulchra Theatra recessu.

Hoc ubi nostra vovet cultu lunata profundo  
Cyrriha *Ducum Florem Tibi* reddit *Phæbe Varalla*,  
Cujus ad autumnum, sibi Flos hic augure Voto  
Præfagit fructum. Neq; ludent omina Vatem:  
*Quæ* colluctatur, gradiens per compita, Clivos,  
Callibus, *ELISABETH* senis invisura Penates,  
*Prodroma*, Te semper panis tutabitur alis,  
Et nostro dabit axe Diem, dabit omine Fructum.

*Devotus*

ILLVSTRISSIMO NOMINI  
Tuo

Vates Apollo

*Scholarum Piarum Podolinensium*

Vovet: Vaticinatur.

ARGV.



## ARGVMENTVM ACTVVM.

**C**AROLVS V. Romanorum Imperator subjugatâ pænè totâ Europâ, Honorum relegat factum, & Solitariam, DEI militaturus obsequio, amplectitur Vitam.

### ANTIPROLOGVS.

*V*anitas Mundi & Fortuna, inter Quatuor Mundi Partes triumphant, Amoriq; Divino illudunt; Ille de sui conqueritur vilipendio, sed à Providentia Divina consolatus, benè sperare jubetur: ut potè in CAROLO V. in Scenam dando, triumphaturus.

### PROLOGVS.

*A*Mor Divinus confilus Providentiæ, lætùm jubilat; quo jubilo Muse ad Hippocrenem LVBOMIRSCIANVM (SRZENIAWA intelligitur) requiescentes exaudito, Occasionem Scenæ Theatralis aperiendæ nactæ, APOLLINEM Patronum eligunt, sed ad dispensum Genij sui Parnasi, pro Apolline ILLUSTRISSIMVM Electum EPISCOPVM TEMNENSEM optant; in ejus Laudes Genius excurrit.

## CONVERSIO à PROLOGO

A D

### ILLVSTRISSIMVM EPISCOPVM.

*G*randes vetusto lumine Præsules  
Apollo doctus murmure pectinis  
Vulgare, nervum nunc loquacem  
In resonos anima triumphos!

*Virtus*

Virtus Deorum juncta Senatui  
 Lyras fatigat, quæ famulo Iovem  
 Cantu remotis usq; promunt  
 Cardinibus! modo sic pigebit  
 Debuccinantis Classica gloria  
 Aptare metris? Ergone fluctibus  
 Convulsa Lecheis pudendo  
 In tenebras ruet occidente  
 Episcopalis Mitra? Faceßite  
 Lycæa mutis inclyta barbitis!  
 Hic nolo raucescas Thalia  
 Pierios bene docta cantus,  
 Vbi Sereno fulgure publici  
 Grassata luctus nubila Pannonum  
 Sidus fugavit, nempe SIGRAY  
 Præsuleo venerandus ostro.  
 Apollo docti carminis-arbitrer  
 Hinc fila ductu pollicis increpet:  
 Idæa Virtutum, labantis  
 Scepulij Basis & Corona.  
 Quod si rebeli tibia PRÆSVLEM  
 Nervo moratur dicere, Gratia  
 Demandat invito IOANNEM  
 Catigenis recitare plectro.  
 Mulci colorant lampade Nominis  
 Atrata fusci crimina pectoris,  
 Nomen IOANNIS gratiosum  
 Compta procul calamistra pellit.

**ACCESSVS ad ACTVM:**

Musæ exauditis Laudibus per Genium decantatis, Actum  
 & Scenas Illustrissimo EPISCOPO dedicant.

**ACTVS**

# ACTVS PRIMVS.

## Scena I.

**C**AROLVS inter Fortunam & Voluptatem obdormiscit. *Amor Divinus* dormientis Cor succendit; vndè excitatus *Vanitatem*, *Fortunam*, & *Voluptatem* aspernatur, ac reijcit. *Voluptas* irritò conatu, ad abstrahendum Cæsarem à proposito, saltum instituit. Hinc consultatur inter *Fortunam* & *Vanitatem*, quâ methodo *CAROLVS* abstrahi possit. *Fortuna*, successûs *Monarcharum* repræsentatione, id effectura creditur.

## ALLVSIO ETHICA.

Multis tentantur, qui amare DEVM incipiunt.

**P**æan! deserto sidera barbito  
Novate! fusi poplite, cernua  
Vobis in artum colla lunant  
Terrigenæ, tacitoq; damnant  
Mendacis astum pectore sæculi.  
Nunc quippe pulchris fulgurat ignibus  
Fortuna; tandem sævit, æstu  
Lethiferam jaculante stragem.  
Novate! Pæan! consonus omnium  
Cæli beatis fervet honoribus  
Ardere nifus; nulla mentem  
Instabilis rapit aura vulgi;  
Verùm Curuli vecta Favonij  
Non prosperatur gloria, fulmine  
Brevis fatiscit lividorum  
Icta, brevi tenebrat serenum,

Quae terra Divis se dedit hostiam,  
 (Vbi voluptas cordibus influit,  
 Mundus theatra Vanitatis  
 Pandit, opum radiatq; censu.)  
 Quot non procellis fluctuat? Undiq;  
 Sudat beatum frangere Vanitas  
 Molimen, instant aggregatis  
 Insidia lacerantq; nimbis.  
 Sic Imperator victimat ætheri  
 Solemne munus, pectoris hostiam;  
 Hinc frendet Orci turma, bile  
 Vipereas laniante fibras.

## Scena II.

**F**ortuna ALEXANDRVM inter Aureas Horas Genijs Regno-  
 rum applaudentibus constitutum; CONSTANTINVM de  
 Scythia Scythis adgementibus triumphantem; TRAIANVM  
 in Corde Civium, Livore frustra contra eum laborante,  
 (flammis enim è Corde jactis pellitur) regnantem introdu-  
 cit. Fit applausus Amori Civium. CAROLVS, applausus ar-  
 gumentis captus, hæsitat in proposito.

## ALLUSIO ETHICA.

Leves hominum animi, à proposito boni citò desciscunt.

**A**llude blando murmure linteis  
 Favoniorum gratia! cedite  
 Ponti furores! expeditis  
 Provehitur mea Cymba coelis;

Aeternitatis qua petit Insulas.  
 Hæc auspicato remizat omine  
 Plerumq; causa, quam Tonantis  
 Obsequium vocat in procellas.  
 Vel ominosis tu rege nutibus,  
 Cui superbo vertice detumet  
 Minax profundum: tu gubernæ  
 Auspicio meliore cymbam.  
 Sed quò levantis supplico gratia  
 Opem? Carinæ suppara fluctuum  
 Nullo fatigantur tumulu,  
 Nulla secat liquidum phaselus  
 Iter; supino Nereus incubat  
 Salo, quiescunt stabra protervie.  
 Quò Nauta Divum vela flexit?  
 An furij agitata lentum  
 Thetys voraci condidit alveo?  
 Reliquit ausus. Nempe volubili  
 Mutatur inconstans rotatu  
 Mens hominis, solidumq; nescis  
 Firmare gressum. Carolus, heu pudor!  
 Boni tenacem ficcine Spiritum  
 Eliminavit cordis æde?  
 Nulla fides hominum statutis.

### Scena III.

**A**Mor Divinus hæitatione CAROLI consternatus, per clamores & suspiria, Principes Regesq; demortuos, qui Honores mundi spreverunt, evocat, ab illis consilium petiturus; sed fraudatus desiderio, Prudentiæ occursum consolatur, & quid gerendum sit, accipit.

# ALLUSIO ETHICA.

Prudentiâ summâ utendum est illi, qui ad rectam vitæ orbitam Principem reducere satagit.

Quid iuvat? densis glomerata turmis  
Verba zeloso tonuisse corde?  
Opprimunt ictu graviore, sensum  
Pectora durant.

Principis leni domet arte culpas,  
Cui novis ardor vitiosa navis  
Corda lucrari: furis? ille pejus  
Fervet in ausus.

Vindicem tardè pluit in scelestos  
Iupiter flammam; praeit, ante frangens  
Mollibus noxam monitis; in auge  
Fulmine seuit.

Non enim caecis lea pavit antris  
Principes, blando cicurantur astu:  
Parcus irarum, modicusq; verbi  
Firmiter urget.

Dum superfusus casaracta nimbis  
Obruit campos, nimiumq; spumat  
Turbinem, crudo Cereale damnat  
Carcere Semen.

Caroli mentem licet impiauit  
Vanitas compto vitij colore,  
Attamen blando sonat in rebellens  
Fulmine Ductor.

## Scena IV.

Prudentia suasa Amor Divinus adit CAROLVM; mundi

*Vanitatem* describit; & vt evanidam sæculi apparentiam  
citiùs cognoscat, *Afæctas* in Eremito repræsentat.

## ALLUSIO ETHICA.

Exemplis ducimur ad meliora.

**I**lli Sidereos pandere limites,  
Qui sudat grauidus compede criminum,  
Faundo nihil ore,

Sed Vita iuvat ordine.

Promptum conspicui legibus obsequi  
Candoris, Veneres suauiloquentiæ

Damnabit rude vulgus:

Virtus regula subditi.

Plures insimulant mellea cordibus.

Blandimenta; pium variùs aspici

Cordis non sine questu

Mærens excubiæ Poli.

Ardent belligero pectora Spiritu,

Et contos rapidis gressibus in-volant:

Primus Ductor inertè

Si non diffluat otio.

Accendant aliàs classica militem,

Palمام non dubio spondeat omine

Bellorum arbiter ensis,

Non tanto calet impetu.

PRINCEPS, flagitio quòd comes adstitit,

Culpam deciduis diluit amnibus:

Quòd plaudeat Probitati,

Exemplo vider orbitam.

Scena

## Scena V.

CAROLVS perspectâ Mundi Vanitate, meliori vitæ stude-  
re proponit.

# ALLVSIO ETHICA.

Ornat Principes proposita Constantia.

*AV* gustos animo fingere Spiritus,  
Si fremunt validis fata tumultibus;  
Hinc magna specimen promicat indolis,  
Quæ nullum pauet obicem.  
Sed frondet melior gloria verticis,  
Qui cum deposuit corde metum semet,  
Pulchris inuidia concitus aestibus  
Et fati calet ambitu.

Hoc nunquam profusus tramite deuiat;  
Fecundat segetem dextera gloria  
Virtus quæ riguis iugiter imbribus  
Illius madidat sicum.

Vulgus prociديو poplite non colet  
Alcidam, colubri sit licet inelytus  
Fractis à tenero morsibus, algido  
Dum marcent senio dies.

Et mens in solido robore firmior,  
De neruo stabitis nil patientiæ  
Mittit; tunc Superum digna cubilibus  
Dulces carpere ferias.

Non arrepta boni semita CAROLO  
Iuste centuriat laudis homagia;  
A constance gradu vernat adorea,  
Quo recti subijc viant.

# CHORVS.

**R**eligio Virtutes evocat, ut CAROLO famulentur; quod dum & Vanitas molitur negotium, arceatur à Religione.

## CONVERSIO ab ACTV I.

A D

### ILLVSTRISSIMUM EPISCOPVM.

**L**Ethi soporem diserte Phydia!

Gelu rigentes ocyus expedi

Manus! laborem dant Colossi,

Præsuleæ benefacta vitæ

Vt eloquenti carmine muntient.

Fingit Quirinum dextera Tullio

Quòd fulminaret dictione

Artifici simulacra cæte.

Myron! capaces huc quoq; laminas

Confer. SIGRAY nomina deuoue

Aternitati! quæ perennes

Eloquio meliore cedri

Vulgent. Sed alto muta silentio

Quid ora posco? Linquite Calites

Conclaue! fixis luminosum

Sideribus, date pensâ laudum!

Regina primò, quæ nitet inclyta,

Majestuosè fulgure Nominis

Dilectio, quo feruet igne;

Hoc meritos litui requirit

Cantus. Proterui cærule Nerei,


Nec pernicacis ludibrium pyræ,

Hoc ampliatum bullit æstu,

Tota licet voret eminentis

Ramenta Cedri; qualiter in Tui  
Flammescit ardor pectoris abdito:  
Et hic Ducissa promicante,  
Quis famulum neget esse catum?  
In tot liquari flumina nesciunt  
Siticulosis nubila compicis.  
Non ditat ipse fukuus auro  
(Intumuit licet affluentis  
Nimbo metalli,) sic Tagus accolas,  
Ac liberalem secula Te stupent;  
Augusta suffusus rubore  
Vt trepidet memorare fastis,  
Expensa Nerus, Curia Romuli.  
Fidele nummis praesidium dedit,  
Qui non minaces ense, verum  
Excubias dedit indigorum.  
Secreta nec tu merce cubilia  
Opum coronas. Peruigil excubes  
Vel sera, vel caligo multis,  
Ad cumulos Tibi pauper adstes!  
Tumultuantis iurgia seculi  
Surgunt in iram saepius, & Typhi  
Minatur extorquere clauum  
Si dubiam remoretur undis  
Nauim. Sereno carbasa deuethi  
Colore fastus, non Tuus annis  
Exercitatus mille mundi  
Insidijs animus; cachinni  
Vulgaris aure, fulmina casuum;  
Perjura quales conglobat in necem  
Fortuna seruorum Tonantis,  
Non fremitu Tua corda terrent.

Ergo! loquaci stamine publica  
Nomen IOANNIS desua fidere  
Iu-venta! Virtutumq; plausus  
Emeritis resonare chordis.



ACTVS

# ACTVS SECVNDVS

## Scena I.

**C**AROLO æterna meditante, *Fortuna* illum interturbatura cū  
*Nuntijs* advenit, felicem de *Frâncisco Galliarū Rege* *Victoriã*  
denuntians, & secunda omnia contra *Saxones* appromittens.

## ALLVSIO ETHICA.

Nimia mundi fortuna, æternæ contraria felicitati.

**E**Heu! ludimur ambitu,  
Quo flagent stolidi pectoris incima.

Quidquid Sol Pater ignium,  
Dum ponit roseis frena jugalibus,  
In vestit rutilo die,

Fucatis laqueat corda coloribus.

Turrato penetrata

Fastu despiciunt infima; qua tamen  
Surgens Phosphorus afficit  
Ad Celos tumido vertice progredi;  
Nutant fracta sub Hesperum.

Nunc vectat volucris concitus esedo  
Te sorti genius, brevis

Tutum, præcepti conteret impetu.

Largo si tibi gemmeam

Ganges eluvium lictore depiuit,

Mutatis vicibus pave!

Nè tandem Stygijs fluctibus, innates.

Truduntur vicibus vices;

Risus, tristitia. Nescit adultero

Cæcum cadere pollui.

Fortunam gemitus consequitur comes.

Ergo si placet Atria  
Quo communt hilari fulgure Iaspides  
Vanis perdere mercibus,  
Mundi perfidia mens vaga militet.

## Scena II.

Saxonia tristi exaudito omine, & iam CAROLI subiecta  
Imperio, lamentatur. Hanc Gradivus consolatur; Vulcanum  
ad arma paranda, quibus CAROLO resistat, offerens. Fri-  
dericum Ducem Saxoniae, Rebellionis Caput eligit. Fride-  
ricus ad praestandum fidelitatis Sacramentum (Spe tumul-  
tum dissuadente) cogit milites; sed brevi superatur & Ca-  
rolo Victori praesentatur.

## ALLUSIO ETHICA.

Nunquam bene Capitibus Rebellium succedit.

Poëta, Rebellio.

Poëta.

Ergo belligero Gentes vexare tumultu;  
Vna salus populo?

Defluus undantes largo secat agmine Campos  
Heroum Sanguis:

Cana sub exanimi grave plangunt jugera vulgo,

Quis tulit hanc messem?

Denique iam gladijs turbans diffunditur Orbis,

Pax confusa gemit;

Nec tamen hoc populi mitescit vulnere ferrum;

Gliscit adhuc feritas.

Consulte arma furor; bonitatem fingit, Erynnis

Seque dolet plecti.

Rebellio.

Ergone? cui nullo taminatus candor ab usu,

Hac sub mole gemo

Surg-

*Surgite bellaces animæ! confurgat in iras  
Prensa iugo bonitas!*

*Judice Mars capulo dirimat mea damna, rebelli  
Pugnabo chalybe.*

Pòeta. *Quid tamen enervi tentas molimine crimen?  
Nurabit rabies.*

*Quam vomit ira necem? trepida, nè detones ultor  
In tua colla DEVS.*

*Nunquam seditio faustis equitavit in alis,  
Ipsa sibi vindex.*

*Scintillæ ferro? Scelus hic depascitur ignis  
Pectore qui bullit.*

*Vineula fumosis Liparæ solidata cavernis  
Nil nisi triste canunt,*

*Non tamen hi sonitus alium terrore fatigant,  
Quàm Domini pectus.*

### Scena III.

**C**AROLVS post edomitum Fridericum, Imperium abdicare constituit; sed *Voluptas* meditata (*Amore Di-vino* vatum laborante) impedit; ideoq; inter Horrorum amæna deductum, ad pulsam Cytharæ, variosq; cantus dormire facit.

## ALLUSIO ETHICA.

*Etiã Herœs emollit facile Voluptas.*

**N**on solus calidis gliscere iurgijs,  
In cujus cogitant præsidium cuba,  
Mars Ductor didicit: sunt & inermibus  
Ira capreolis; spicula sunt api.

Sudat Threicio miles in agmine,  
Propinat riuum vulnere sanguinem  
Campo, nec meritum pullulat illico  
Sertum temporibus. Cum leuis emicat,  
Non rauco mirans funera classico,  
Sed fundens hi aris, pocula cacubi  
Luxus, jam liuos increpat, indices  
Fusorum pugilum. Risibus excipit  
Surgentis Macedo fulmina prelij;  
Sed qui belligeris non cadit ictibus  
Regnorum Domitor, victima luxu  
Offertur, calidus quam liquor immolat.

Diffindit scopulis horrida montium  
Pani dexteritas culmina; decoquit  
Longo pressa metu signa Quiritium.  
En! quem non potuit ferrea mergere  
Belli diluvies, vitrea concutit  
Enerui stimulo. CAROLVS omnium  
Terror, cui toties credidit aleam  
Constans ad resone murmura buccina  
Fatum, delicijs colla dat in jugum.

### Scena IV.

Voluptatis lenocinio sopitus Carolus videt Iustitiam æter-  
nos Inferni cruciatus (nisi respiscat) præparantem.

## ALLUSIO ETHICA.

Voluptuose in carne viventes æternum in anima

moriantur.  
Licer! supina cervice amystide  
Obniviosum ducere Liberum;

Quem consequentis nulla vita  
Solicito glaciatur pauore  
Sitis. Profusi non bene Massici  
Alto beata littora Patrie  
Deuecta mordet Cymba; cordis  
Vita iubet tumulare luxum.  
Elucidari gratia Corporis  
Mentis venustam fuscatur imaginem;  
Nec tam feroci Marte pugnant,  
Assiduis inimica rixis,  
Cum defluenti gurgite Thetidos  
Accensa flammæ iurgia; Spiritus  
Ac temnit ignauas reclini  
Accubitu redamasse plumas.  
Obnubit ignes flammea nocturnum  
Nascente Phæbo turba rotatile  
Velans coruscum; sic voluptas  
Non patitur bona vita sedus.  
Lenocinantis perfida sæculi  
Agnosce PRINCEPS pocula quo madet  
Crater voluptatum liquore,  
Exitium tibi crede spumas.

## Scena V.

CAROLVS ex somno experges factus, & visione perterritus,  
Divinam agnoscit monitionem, cuius obsecundans volūtati  
penitentiae arripere statum, & honoribus nuntium dare, de-  
cernit.

# ALLUSIO ETHICA.

Si attentè perpenduntur futura, sinè molestia contemnun-  
tur præsentia.

**D**Evota mundi nutibus agmina  
Huc aggregatis tendite passibus!  
En mesta propono theatra,  
Funereis ubi Scena tumbis  
Atrata fulget. Siccinè Principum  
Ærugo sævis nomina dentibus  
Infestat? eheu! molliore  
Quis trabeam viduavit ostro?  
O Scena luctus! hunc cinè verticem  
Pullo cupressus circuit ambitu,  
Quem laureati sæpè cinctus  
Supplicibus tremuère vittis?  
En, qui secundis fulrus Eubæijs  
Inane molli nuper in esedo  
Findebat aurigante famâ  
Nunc tenui malè regnat ornâ!  
Et quem superba culmina gloria,  
Vel eminenti fulgure promicans  
Apex honorum concitabit?  
Si hibrico metuenda calle  
Fastigiatum Sideribus Caput  
Quando maritât splendida. CAROLVS  
Hèu! mille singultit querelis,  
Dum refides medicatur annos.

## CHORVS.

Misericordem esse DEVM super eos, qui sapienter medi-  
tantur æterna, & hîc indefatigati laborant, occinit.

CONVERSIO ab ACTV II.  
A D  
ILLVSTRISSIMUM EPISCOPVM.

Scientiarum gloria, PONTIFEX I  
Nervo labores dicere barbati,  
Quos combibendis literarum  
Ingenio Duce disciplinis  
Firmo tulisti robore, Delium  
Numen recusat. Ver Pueritia  
Non ominoso floxe tantum  
Emicuit Tibi sed tulere,  
Praesaga culmum semina, quae labor  
Sudoris auxit flumine. Cynthius  
Tyrnaviensis pertinacem  
Tunc teneri coluisse fertur  
Nisum. Iuventus non Tibi ludicra  
Lascivientis quando protervia  
Ingressit, objectum voluptae  
Solicitus labor evitavit.  
Hinc illa pulchra vena scientiae  
Quae praesfluente dulciter alveo  
Delinit aures obstinata,  
Herculeo decus invidente  
Nodo, catenat viscera mentium.  
Quod si modestae pondere sic ligas  
Orationis, quid dolores  
Pindarico geminare cantu  
Iuvabit? Aris, ut sua devium  
Exarcuato poplite deferat  
Tributa vulgus, nec silenti  
Id decuit reticere buxo.

**Exerberavit nuntia CÆSARVM**

Aures decori fama negotij:

Quod amplianda suasit ardor

In populos fides; proinde

Fulgere tantos murice Præsulis

Iussit labores: sic humili Mitra

Illos adorant fronte, cultu,

Quos animi radiare cernunt:

Vno Corona tramite remigant,

Quo sanctitatis fama perambulat.

Vicinat umbra solis auro,

Consequitur diadema Iustos.

Ergò quòd isto jam satis in Polo

Ardere pulchris visa nitoribus,

Illustre Cancellariatùs

In solium, magis euibranda

**MATYASZEWSKI** Purpura prodijt.

Quæ, dum remoto disita littore,

Podolinensem buccinare

Non patitur, sua gesta Cyrrham,

Ad Nitriensis limen Apollinis

Fertur soluto Musa libramine,

Tantumq; Nomen cernuato

Nixa genu colit, & veretur.

Hæc occidentis lumina Sideris

Quod reddet Astrum? dum petit Infula

Temnensis, en SIGRAY? Olympus

Acciduum jubet ire Mitram.

Grates fideli sidera pectine

Habete! Tantam carcere Lampadem

Submissionis eruendo:

Cymmeriam scelerum fugabis

87  
Hæc flamma noctem. Tu noua gaudij  
SCEPVSIENSIS germina concipe  
CANONICATVS. Sole tanto,  
Gemmiferis fluat hora nimbis.  
Sat euibrato nomen Horoscopo  
Vestrum mitabat; prima serenitas  
Fecundiores explicabit  
Nunc radios, ubi iuncta Solis  
Ignescet auro. Tu modò fulgura  
Hoc axe Titan faustus, ut à Tuo  
Noster caleseat Phæbus igne,  
Sitq; Tuæ famulus Curulis.



D

ACTVS

# ACTVS TERTIVS

## Scena I.

CAROLVS pertæsus longiores Vitæ Sæcularis moras solitudinem appetit. Gratulatur Ei Amor Divinus, & præcepta ad stabiliendum Propositum tradit.

### ALLVSIO ETHICA.

Amarefcit mundanus Amor, ubi Divinus dulcescit.

Nondum Numinis illitum.  
Credo delicijs, cui variabili  
Tellus complacuit bono.  
Heu! quàm non solitis fervet amoribus?  
Quem non aestuat in rozum  
Cor? quod fidereis gustibus imbuir  
Stellati tholus ætheris.  
Hyblæ fatuus nonnisi destluunt  
Colles voribus, optimum  
Quo lactant animos Caligenæ bonum:  
Quot Carchesia sorbuit?  
Non jam nectareis fervida potibus,  
Verum gurgite luminam  
Divino madidus Numine Scylites:  
Gustum felle scatentibus  
Condi-vit cyathis gratia Calicum.  
Plaudit compita permeans;  
Cæli vorifluis ebria lacrymis,  
Blandi nectaris artifex:  
At non dissimili plaudere gaudio  
Diuorum famulis datur;

Postquam terrigenis tincta liquoribus  
Planctu pectora diluunt;  
Vt tandem medijs fluctibus obrui  
De leua jubilent vice,  
Et quidquid placidi secula jactitent:  
Despectum pedibus terant.  
Diues Calicolum munere CAROLVS  
Non ambit calicem Soli.  
Talis: qui Superum dotibus affluit.

## Scena II.

**A**Mori Diuino obedientem CAROLVM aduertentia Regna  
frustraneè tentant à solitudine ejus propositum auertere.  
Abdicat solemniter Imperium.

## ALLVSIO ETHICA.

Rectè Imperator est, qui sibi imperat.

**F**astigiatis eminere cultibus,  
Gloria nulla Ducum.

Regem posabo, non throni  
In alta luctatum jugo, sed qui probus.  
Non diadema facit

Illustre gemmis Principem,  
Scellarus auro quid iuuat Sceptri nitor?  
Culmina nulla iuuant.

Lasciuientem qui tenet  
Freno appetitum, verticem seruo comet,  
Nonne jugum Macedo,

Lethale fulmen Gentium,  
Inter subactos tolerat vulgi dolos?

*Sanguine dum chalybem  
Potat refosso viscere  
Cliti. Catenis vincularis increpat  
Fata morasq; Nero  
Vita; furentes imbeus  
Non subjugari concitat sensus vigor.  
Edomito famulus  
Hic Orbe, qui nullo fera  
Compestit ausu passionum jurgia.  
Libera jura placent;  
Hostem domi Te subjuga.*

### Scena III.

*Imperatorem abdicasse Imperium conspiciens Amor Diuinus,  
Zephyrum evocat ad mare componendum profecturo in-  
solitudinem. solitudo Desideria expedit obuiam Carolo, Pro-  
uidentiâ Divinâ Duce, ad locum determinatum pergenti.*

## ALLYSIO ETHICA.

*Sollicitè bonos desiderat solitudo.*

*Appage! quem stolido mundi rapit officina cultu;  
Qui sternis acclinem solo lacertum.  
Si tibi blandiuolis Zephyri placet incubare pennis?  
Et plebis aurâ prouehi jugali?  
Non aspirabit meditatæ leniore Numen  
Ductu, quod odit vanitatis auram.  
Fulgura nulla sinit radiantibus emicare gemmis  
Trames Tonantis, Ductor ad Curulem.  
Insidia hic vigilant, stygius furis in necem Tyrannus,  
Ardens obryzi te repandet ignis.*

Quos bonitatis amor placido per corda torret aestu  
 Negata vestigant spelæa terris:  
 Hic ubi stelligeri copulantur liminis choraulæ,  
 Torrente poti calicibus fauorum.  
 Tædiæ sollicitæ cultoribus inserunt Eremitæ,  
 Desideratos quò pio reposcant  
 A Superis gemitu; facili neq; mitigantur aestu,  
 Donec petito vota sine plaudant.  
 Vincula sunt animi probitates; efferum catenant;  
 Eliminato trans Tbulen furore.  
 Expedit immensis ardentia solitudo flammis  
 E latebroso vota sedis antro.  
 Æstuat illa, Ducis quò lumine, combibat beatæ  
 Incepta vitæ. Sic, bonos anhelat.

## Scena IV.

**T**Ritonum favente concentu, provehitur ad Solitudinem  
 Carolus. Enavigat mare, & dum attingit Portum, Solitu-  
 do in documentum lætitiæ, Sylvarum cogit choræas.

## ALLUSIO ETHICA.

Svavis, desideratorum præsentia.

### Poëta, & Dolor.

Poëta,

**Q**uid seuus lamas intima cordium?  
 Quid fibras animi vulnere concutis?  
 Iam confinia mortis

Hæc læsus tetigi vice;

**Q**uid meror lamas? DOLOR. Vulnere SAVIO,  
 ambitum teneri quòd violens neget

Caurus, remige pennâ,  
 Cordis dimidium dare.

Surgens purpureo quam iuga lumine  
Perfundat vitreis lotus in amnibus

Titan, quæ vagus ales

Tunc suspiria misit atque

Vt verò nitidâ risit ab æquore

Flammâ conspicuus, iam cytharæ jocos

Molli gutture fingit,

Iam nervo sonat æmulus.

Non serpam taciti vulneris impetu,

Non findam solidis viscera morsibus;

Si fibras populantem

Cælum conferat adsticem.

Hic solus fluidi cymbria nectaris

Euincit. Resonæ carmina tibiæ

Non sic pectora mulcent,

Non auri placidus nitor.

## Scena V.

CAROLVM in plano consistentem venerantur Eremitæ cul-  
tores; mutuo eosdem veneratur CAROLVS. A quibus  
cum in delecta clauditur Cella, Theatrum Scenam claudit

## ALLVSIO ETHICA.

Solitaria Cella, amanti Cellam, Cælum est.

Turgeant postes & amena Cæli

Consonis Divûm liquor theatra;

Est suum terræ simili redundans

Carmine Cælum.

Viva crystalli glacies gelatos

Induit muros ibi; Cordis aula

Nobili fulget radiata luce

Hoc in Olympo.

Si ni-

Si ni-ves Agni decorant plateas,  
Turba vittato redimita cinctu  
Quo Coronatas Duce lustrat; istum  
Gratia comit.

Floret aesti-vis ibi pictus hortis  
Sardius, torum natat inter undas  
Gaudij Regnum: nec in hoc doloris  
Nubila regnant.

Optimum fiet Tibi Cella Celum,  
Quam frus torret, Dominâ Tonantis  
Auge donari, modò tædiorum  
Prælia vincas.

CAROLI quanto populata mentem  
Cella sit gustu? solidus loquatur  
In via passus: Cauet en dolose  
Fulgura mundi.

## CHORVS.

Omnes invitat ad amandam solitudinem exemplo Caroli.

## CONVERSIO ab ACTV III.

A D  
ILLVSTRISSIMVM EPISCOPVM.

Afflante Divi Pneumatis halitu  
Vatem, canenti suavior entheus  
Erumpit, ad fasces Honorum  
Pollicitur trabeare Suadam.

Non ergo vili carmina desuane  
Torrente: gemmis pagina grandinet;  
Aut spires ignem, corde quantus  
PRÆSULEO volat inter astra,

Cum missa promit vota medullitus,  
Spirasne flammam? cernis ut aestibus  
Amoris incalescat, inter  
Colloquium tenero profusum  
E corde PRÆSUL Caligenis. Tamen  
Ne flamma nullo funditus occidat  
Suffulta passu, solitudo  
Vivificâ modicam saginat  
Escâ, superna munere gratia.  
At lingua, stultis lubrica sensibus  
Revolve dictum! sicne PRÆSUL  
Astricolas vitiante formam  
Amore stringit? Iugera sarculus  
Quæ dente purgat iam Cerealibus  
Inepta iudicabo donis?  
Si riguas bibulis propinat  
Lymphas viretis Alcinoi manus,  
Indigna dicam germine surculi?  
Formosa, quantum præstat Icon,  
Solllicitat magis arte comi,  
Vt eleganti ludat imagine  
Tandem colorum. Quò magis aureum  
Examinator tergit ignis  
Pondus, eo sibi palla ridet  
Ardentiori lumine nictitans.  
Fervens anhelat limina PONTIFEX  
Arcana vulgo; quò remotus  
Hic melius sua tela vibret,  
Et obstinato cardine diruat  
Celos, Deorum proximus atrijs  
Victurus olim: quæ petita  
Iam placidus TIBI cedit æther.

Inauspicatis nulla dies rotis  
Infusa mundo; quæ TIBI Numinis  
Voluptuosos corde gustus  
Eriperet: populi procella  
Circumsonantis murmure jurgij  
Non impedivit bona suavis  
Libata labris. Vitis Ulmo  
Insinuat gravidum racemis  
Collum: Beatis, non separabili  
Dilectionis Tu quoq; vinculo  
Tenax inheres, corde vivus  
Quale TIBI fabricavit ardor.  
Fomentet huius semina gratia  
Parens Amorum! qui citò ferreas,  
Mitigat illabente venas  
Igne; cui feritate pulsâ  
Induta petram spontè protervia  
Mentis liquefeit; quò nocui lues  
Hoc deletur igne nevi:  
Disidium fidei ligetur.

## EPILOGVS

Gratiæ persolvuntur ILLVSTRISSIMO EPISCOPO, &  
Cæteris Dignissimis Auditoribus, pro attentione.

## PROLOGVS ab EPILOGO

A D

Perillustres & Reverendissimos, Amplissimos, Admodum  
Reverendos, Venerabiles Dominos, Dominos Præla-  
tos & Canonicos Venerabilis Capituli S. MAR-  
TINI de Scepis &c.

Encum Miracis diues adoveis  
Quando reduci carbasa littori,

E

Et

Et feriandi querit anſam  
Melpomene; pelagi profundum  
Inſtare feſſis lintribus aſpicit.  
Ergo revulſa non piget anchora  
Laudum per equor grandiorum  
Velificam properare cymbam,  
Cultumq; veſtro reddere Nomini,  
SCEPUſIENſIS Fulcra CAITULI;  
CANONICORUM Docte Cetus!  
Quoſ hodie lyra militabit.  
Dixi Columnas! Numina verius  
Illuſtriori dicere ſtamine  
Decebat; in quorum Senatu  
Unanimi ſolidata velle  
Sinceritatis gloria, concavum  
Fingit Polorum, quo radiabitis  
Velut refulget in choreas  
Acta ſuis Cynofura flammis.  
Ardes GEORGI, gloria Pallados,  
Quem DOKTOROWICZ ſpontè vocabulo  
Praſaga dotavere fata;  
Quod docilem, ſtudijs maritum  
Tant praſciſſent. Nec TVA niſtitat  
BERNARDE FORSZTNER mellea Nominiſ  
Dulcedo; plenos ſpargit ignes;  
Cui probitas, animiq; dotes  
Pulchra ſerenant fronte meridiem  
Vira. IOANNIS poſthuma gloriam  
Debuccinabunt MARTYNOWSKI  
Luſtra, cui glomeratas largus  
Dum fundit ether munera, prodigo  
Redire fluxu cernit in alueum.